



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

12 An si frater emendatus sit de delicto, possis Praelato, vt patri
denunciare, vt sic secus non sit à recidiuo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

Quod si hoc fiat absque culpa, iam ex se apparet, quam graue sit innocenter in se punire, nocente delatore manente indenni: & colligitur ex Suar. tom. 4. de relig. lib. 10. c. 12. n. 37.

Tertio potest Prælatus, cui delictum, vt patri est manifestatum, dicere alicui, vel aliquibus ex suis consultiuibus, si hoc necessarium iudicat ad remedium adhibendum; quia in hac manifestatione utilitatem spiritualem delinquentis respicit, que leui illi delicto fama antependa est: ita expressè Torres 2. 2. q. 33. disp. 89. dub. 4. circa fin. & tradit Congregatio vbi supra num. 3. Et in Congregat. 6. decreto. 62. ibi habita ratione finis denuntiationis paternæ potest ipsum delatum admonere, & corrigere secretò coram duobus testibus, vt ex Euangelio cum sancto Thoma docent DD. Item & de remedio consulere imponendo secretum iis, cum quibus communicat.

Sed dubium est, an si superior immediatus collegij possit se solo delinquentem à reincidentia præcauere, peccet manifestando delictum Prouinciali: Videtur enim peccare, quia iam illa manifestatio delicti, & amissio famæ non habet finem paternæ delationis, que est fratris lucrum, cum absque illa lucratus sit. Taciteque id insinuat in supradicta Congregat. VI. decreto 63. Potest etiam contra superior dicere rem sic delatam, & notam alteri superiori eius delati, quando res ista postulat ad finem paternæ delationis. Ergo & contra quod id non expostulat, nequam potest. Dices, et si non expostulet vt necessarium, expostulet vt conueniens, ne Prouincialis ignarus huius delicti delinquentem exponat aliis similibus, vel grauioribus committendis. Fateor ob hanc rationem probabile esse nullum peccatum in tali manifestatione committi. Si enim probabile esse diximus in materia delationis reuelare peccatum vni, vel duobus viris grauius, qui magis professe possunt, quam obesse, non fore peccatum morale, etiam ex leuitate, & loquacitate reuelatur, à fortiori probabile erit, quando ex recto sine manifestatur, & ex alia parte non leuis conuenientia intercedit.

Verum quia inde ostium aperitur manifestandi pluribus delictum commissum, probabilis existimo non licere Prouincialium monitionem si solum ob maiorem securitatem à reciduo, & non ob necessitatem, que appareat, licet monere: etiam si licebit monere quemlibet superioriorem immediatum, quem delinquens habeat, & Prouincialium sequentem, cum tunc securior erit delinquentis à reciduo, quod quidem non est concedendum. Eaque de causa dixit eadem Congregatio. VI. decreto 60. & Congregatio. VII. decreto de manifestat. delicti. cap. 15. num. 2. sine vrgenti necessitate, & magna utilitate nemini esse crimen delati reuelandum. Expende verba, sine vrgenti necessitate, & magna utilitate, que non conuenientiam, sed necessitatem indicant.

Quarto potest Prælatus subito delinquenti locum designare fidelem, cui eius actiones exploret, & referat superiori: ita Bannes 2. 2. q. 37. art. 3. dub. 2. Torres ibi disp. 89. dub. 5. Ratio est, quia superior ratione sui officij obligatus est viram subditorum inquirere, quia eius cura commissi sunt, quod aliis priuatis datum non est. Quapropter D. Greg. lib. 2. registri. epist. 52. nullo modo excusat Prælatum à correctione subditorum ex eo, quod dicat se subditorum delicta nescire. Inquit enim: Quæ potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedat, & pastor nescit? Ergo signum clarum est teneri pastorem vigilare, & examinare, an lupus oues comedat, & damnum inferat.

Addunt præterea Bannes & Torres, primò posse Prælatum socio significare aliquam malam de subito suspicionem habere: dicendo obserua illum si iam apud Prælatum subditus diffamatus sit, secus & contra; secundò, dicunt posse sic designatum non præmissa correctione delictum fratris superiori, vt patri deferre. Vtrumque dictum non vniquæ probò. Non primum: si enim absque malæ opinionis significatione potest socio vigilantia commendari, quæ causa esse potest honestas infamationem? Neque etiam probò secundum. Nam si delinqueas correctione fraterna sufficienter intelligitur emendatus, atque bene ad se per Prælatum, (quod raro succedit,) non debet Prælo denunciari; nam esto apud Prælatum graua sit eius opinio, non est dubium, quin multò amplius per repetitionem delicti grauetur, quæ si excusari potest, caritas id exigit. Verum si superior corrigens delinquentem de eius emendatione non manifestatur, existimo posse socio exploratori significare, te non rectè de tali subdito sentire: ac prout necessarium esse vigilantiam super illum, vt sic aperiatur via socio deferendi superiori crimen, si viderit. Nam in tali casu socio præsumere non debet se posse efficaciter corrigere, cum præsumere debeat monitum fuisse, & non esse, emendatum. Ergo absque præmissa correctione debet tunc manifestare, & Prælatus potest sub præcepto ad eius manifestationem obligare. Tum quia nomine Prælati delictum cognoscit? tum quia præsumere non potest rationaliter correctione secretæ esse sufficienter emendatum.

Quintò potest Prælatus (si ei moraliter constat de delicto subdito, saltem per delationem vnius testis oculati, de quo nulla potest esse suspicio falsum imposturum) grauior subditi reprehendere etiam coram duobus, vel tribus testibus: si id iudicauerit expedire ad eum confundendum, & commouendum. Secundò potest ob eandem rationem penitentiam aliquam iniungere, si delictum vel flagellationem. Tertio nimis eum terere. Quarto

Verò. de Castro Sum. Mor. Paris. l.

præcipere etiam sub excommunicatione ipso facto incurrenda, ne talem locum suspectum adeat, nève cum tali persona loquatur: quod præceptum poterit imponere coram ipso delatore, & testibus, vt sic de eius transgressione clarius constet, quia hæc omnia non excedunt paternam correctionem, & potestatem, quam habet pater in filios: & ex alia parte semiplena probatio delicti sufficit ad hæc præstanda; vt opinimè, & prudenter iam notauit ferè eisdem verbis Franciscus Suarez. cap. 4. de relig. lib. 10. cap. 10. num. 14. & cap. 12. num. 37.

Sexto, si delictum in damnum communitatis, vel tertij cedit, & via denuntiationis paternæ, ei remedium sufficiens non adhibetur, vel quia subditus durus est, negatque delictum, & emendationem non promittit, poterit Prælatus præcipere delatori, vt relicta denuntiatione fraterna ad iudicalem transeat, cui præcepto tenebitur obedire, nisi ob graue periculum sibi imminens excusetur. Nam, vt rectè dicitur decreto 58. congregat. 6. ibi Quando prudenter iudicauerit non posse adhiberi sufficiens remedium, quo prouideatur bono communi, vel tertij persone, nisi assumatur in eare officium iudicis; tunc tenebitur subditus ad denuntiationem iudicalem superiori faciendam. Et ratio est, quia bonum commune, & innocentis tertij, particulari nocentis præferendum est. Item potest Prælatus creare Fidelem, qui denuntiationis officium sumat, & facta per illum denuntiatione examinare delatorem tanquam testem qui veritatem teneat fateri, nisi ob aliquod graue periculum à testimonio dicendo excusetur: Et facta hæc restitucione procedet ad examinandum delinquentem, cui processus legendum est, vt clarè illi constet Prælatum iudicè interrogare, & sic veritatem fateri teneatur, sic Suarez tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 12. num. 44. innot. num. 30. vbi aduertit aliis relatis non esse necessarium dare reo copiam nominum testium, sed satis esse si restitucione delectentur, suppressis testium nominibus. Quod certè verissimum est, præcipue in Societate, vbi non est necesse seruari exactè formam iudicij, sed proceditur summarè, & de plano. Adde in omni iudicio religioso existimat Suarez dicto loco, non esse necessarium nomina testium declarare reo, non solum vt teneatur veritatem fateri, sed etiam vt se possit defendere, quia regulariter plura inde inconuenientia sequuntur.

PUNCTUM XII.

An si frater emendatus sit de delicto, possit Prælo patri denunciare, vt sic securior sit à reciduo.

- 1. Proponitur prima sententia affirmans.
- 2. Negat secunda sententia.
- 3. Tertia sententia approbat primam in casu cessionis iuris, illo excluso approbat secundam.
- 4. Resoluitur probabilis esse fratrem emendatum, & nullum periculum relabendi habentem non esse denunciandum superiori, neque cessionem iuris in Societate ad hunc casum se extendere.
- 5. Stante periculo denunciandus est, & quod sit probabile periculum.
- 6. Exponitur quid faciendum sit, cum est dubium, an delinquentis emendatus sit.

PRIMA sententia affirmat, quam tenet Ricard. in 4. distinct. 19. art. 3. qu. 1. in corp. Gab. in canone Missæ lect. 74. list. V. Rosella, verbo inquisitio. Angel. verbo denunciatio. n. 10. Grassi 1. part. decisionum lib. 2. cap. 69. num. 30. Idem docet, quando Prælatus denunciare iubet. Gerson. 2. part. tit. de correct. proximi. Alphab. 34. list. T. vers. tuum peccatum, & videtur consentire Alphons. Villagut. lib. 2. tit. de denunciatio. Euangel. conclus. 5. pag. 94. & 96. Ratio esse potest: nam talis manifestatio potest prodelle, & non obesse, prodelle enim, vt prælati occasiones, & pericula iterum labendi remoueat, & ex alia parte parum, vel nihil obesse, cum ex scientia illius delicti ad punitionem procedere non possit.

SECUNDA sententia negat Prælo esse denunciandum: ita Adrian. quest. de correct. 8. pro huius decis. Sotus relect. de secreto. memb. 2. quest. 4. conclus. 4. Nauatr. sum. cap. 24. num. vltim. sine. Arag. 2. 2. question. 33. art. 7. sine. Valent. disp. 3. quest. 10. p. 5. s. sed rectius hoc negant, pag. 686. Nauatr. lib. 2. de restit. cap. 4. part. 2. dub. 12. n. 120. D. Thom. Antonin. Syluest. & alij quos refert, & sequitur Thom. Sanch. lib. 6. Decalog. c. 18. n. 49. & n. 60. Eman. Saa. verb. correctio. nu. 4. Probatur, primò ex verbis Christi dicentis, Si te audiverit, lucratus eris fratrem tuum, quasi dicat ibi esse sistendum, cum ad lucrum fratris correctio ordinetur. Secundò, fama apud Prælatum pluris estimatur à subditis, & agrius ferunt apud illum infamari propter eius dependentiam, quam apud plures socios. Ergo ob solam maiorem securitatem licita esse non potest talis infamatio. Nemini enim licet bona temporalia à proximo auferre eo sine, vt securior sit in virtute, aliàs liceret diuitias ab eo auferre, & pauperibus dare, vt pro illo orent, vt ex Adriano inferet Valent. supra.

P P 3 ; Tertia

DE
STRO
ALAC
TONI
L. II.

1. Tertia sententia distinguit, aut proximus qui peccavit, renuntiavit ius sibi conferendi famam, vel non; Si non renuntiavit, vera est sententia; si tamen renuntiavit, ut renunciant religiosi Societatis Iesu vera est prima sententia: ita docet expressè Valent. *disp. 3. quest. 10. p. 5. pag. 787. §. respondeo per distinctionem.* Et videtur consentire Suar. *tom. 4. de relig. cap. 20. num. 11. §. 12.* Probat Valent. quia ipse delinquens quantumvis emendatus sit, potest laudabiliter peccatum suum Prælato deferre, ut illum à recidivo caueat maiori cum securitate. Ergo etiam poterit alius de illius consensu peccatum Prælato deferre, consentit enim iam ob rectum finem in iactura propriæ famæ. Quod autem religiosi Societatis Iesu ob huiusmodi finem iuri sibi conferendæ famæ cedant, non probat Valent. sed supponit: probari tamen potest ex *reg. 9. summar. confit.* ibi enim dicitur, *Ad maiorem spiritus profectum, & præcipue ad maiorem submissionem, & humilitatem propriam contentus esse quisque debet, ut omnes errores, & defectus ipsius, & res quæcumque que notatæ in eo, & observatæ fuerint, superioribus per quemvis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur.* Ergo siue sit emendatus, siue non, poterunt delicta superioribus manifestari ad maiorem (subditorum profectum, & maiorem eorum humilitatem, & submissionem. Item negari non potest prudentiam Prælati esse maximè necessariam ad tollendas occasiones iterum relabendi, & tamen necessaria, vel saltem valde utilis ad illius securitatem, & bono communi religionis prospiciendum. Deinde quilibet religiosus (maximè in Societate) tenetur totam suam conscientiam Prælato aperire, omnesque suos errores, defectus, & peccata manifestare, ut constat ex *Examine cap. 4. §. 34. 35. & 39.* ut sic melius regi, & gubernari possit, & in viam domini dirigi. Ergo conquiri non potest, quòd alius eos errores, defectus, & peccata Prælato manifestet ob prædictum finem, liquidem prælat quod ipse debebat præstare. Adde repugnantem huic manifestationi merito timere posse non esse emendatum.

4. Verùm mihi probabilius videtur, si certò tibi constat proximum emendatum esse, neque probabile periculum habere relabendi, nullo modo posse eorum delicta superiori manifestare, ut securior sit, nisi ipse expressè, in tali manifestatione consentiret, neque consensus in societate præstitus ad hunc casum censendus est extendi: ita tenent Doctores relati pro secunda sententia, & loquens de nostra Societate Thomas Sanchez *suprà*, & probatur. Nam finis præcipuus in societate, ob quem mandantur delicta superioribus deferri, est correctio ipsius delinquentis, quod abundè constat ex *reg. 30. sequenti ad nuper positam*, ubi dicitur, *Boni etiam omnes consulant ab aliis corrigi, & ad aliorum correctionem iuvare debito cum amore, ad maiorem spiritus profectum.* Si ergo frater correctus omnino est, & emendatus: neque periculum sit recidivi, cessat finis, ob quem consentit delicta superiori deferre. Et confirmo. Si enim ob maiorem securitatem, maioremque humilitatem, & submissionem propriam cessante sine correctionis liceret delicta fratris emendati superiori deferre liceret, inquam, non vni, sed plurius superioribus manifestare: sic delinquens amplius humiliaretur, & securior à recidivitate esset, quòd nullus debet concedere, & expressè constat contrarium ex declaratione (supradictarum regularum facta à Congregatione VII. *c. 14. & 15. ubi in n. 2.* dicitur, quando ob fines, & rationes allatas (quæ sunt profectus spiritualis subditorum, & bonum commune religionis) existimat revelandum, tunc iis tantum manifestare oportebit, qui remedio adhibendo prodesse poterunt, & *num. 5.* iterum repetit licere superiori ob prædictum finem secretò peragere quæcumque iudicaverit expedire ad remedium. Ergo cessante remedio, quia iam frater est emendatus, nemini poterit amplius eius delictum manifestari: Ergo maior profectus, humilitas, & submitio solum intenduntur, quatenus ad emendationem, & correctionem delicti necessaria sunt.

5. Dixi, nisi proximus periculum habeat relabendi, si præteritus eius lapsus superiori non manifestetur. Nam stante periculo manifestandus est, ut præferret, quod sentit expressè Valent. cum Adriano, Soto, & diuo Thoma. *disput. 3. quest. 10. part. 5. pag. 787. §. quod si.* Et probat. Nam etiam ob huiusmodi finem liceret cuilibet priuato, sine cuius ope non reputaretur proximus immunis à relapsu delictum indicare.

Probabile periculum relapsus voco, quando ita proximus occasione peccati innodatus sit, ut moraliter loquedo iudicetur casurus, nisi ab illis diuertatur: nam de alio periculo magis remoto non est curandum, cum omnibus tale periculum in se ex fragilitate nature, Quapropter Petrus de Ledesma *tom. 2. summi tract. 4. concl. 24. difficult. 6. pag. 290.* affirmat, si scias religiosum in luxuriam incidisse non ex malitia hoc esse ex consuetudine, sed ex fragilitate humana propter occasionem sibi oblatam te non debere Prælato denunciare, si à te corrigi potest, quia tunc non censetur esse in probabili periculo cadendi. At si ex malitia, & prava consuetudine peccat, affirmat denunciandum fore, quia raro præsumi potest emendatus, sed potius in morali periculo iterum & sæpè cadendi versari. Addo in nostra Societate propter confessionem iuris, etiam si ex fragilitate peccet, denunciari posse, quia semper præsumi debet melius à Prælato, quam ab alio socio

corrigendum fore, & quando hic maior profectus correctionis interuenit, iam proximus cessit iuri sibi conferendo famæ apud Prælatum. Et in hoc sensu verum est quod dicit Suarez *suprà*.

6. Sed quid dicendum, quando dubium est, an delinquens emendatus sit?

Respondeo, si delictum est tantum in damnum ipsius delinquentis, qui iuri famæ non cessit, non tenetur villo modo deferre Prælato, imò nec potest; quia hæc delatio honestatur ob bonum ipsius delinquentis; cum autem ignoretur, an bonum ipsius sit, ignoratur, an sit ratio honestatis infamationem. Ergo non poterit apud Prælatum infamare proximum, cum infamatio sit certa, & ratio excusans dubia. Si tamen cessit iuri famæ, bene poterit, quia adest finis correctionis saltem sub dubio, ac proinde sufficiens honestati actionem. Verùm si delicta in damnum tertij, vel communitatis sint, qualia censet Thomas Sanchez *lib. 6. Decalogi. cap. 18. num. 50.* & Suarez *de char. disp. 8. sect. 6. num. 12.* esse ferè omnia religiosorum externa peccata. Tunc, inquam, denuncianda sunt Prælato casu quo dubium sit, an sit delinquens emendatus & timeatur recidivum, nisi prælatò manifestetur, quia damnum communitati, vel tertio faciendum, etiam sub dubio præponderat famæ particularis delinquentis, habet enim ipsa communitas, vel tertius innocens ius, ut sibi ab imminenti damno præferatur, etiam si hoc sit cum aliqua iactura honoris alicuius nocent. *argum. cap. qui cum de furtis:* & ita docet Thomas Sanchez *lib. 6. Decalogi, cap. 18. num. 47.* Lorca. *2. 2. quest. 33. art. 8. disput. 47. num. 20. reg. 4. Petrus de Nauarra lib. 2. de re iuris, cap. 4. num. 71. in 2. edit.*

PUNCTVM XIII.

An licita sit denunciatio iudicialis de secretis delictis, omnia correctione secreta, & inductione, testium.

1. Publicum, & secretorum multipliciter sumitur.
2. Peccata alia sunt in damnum solius peccantis, alia in damnum tertij persona, alia in damnum communitatis, & quæ hæc sunt.
3. Peccata notoria possunt non præmissa correctione iudicialiter denunciari.
4. Obligatio huius denunciationis est, cum adest præceptum superioris, vel cum proximus correctione fraterna non censetur emendandus.
5. Peccata, quæ à te, & ab alio sciuntur, denuncianda sunt iudicialiter, si in damnum tertij vergant.
6. Si delicta solum sunt in damnum delinquentis, præmittenda est secreta correctio, & inductio testium, antequam iudicialiter denunciarentur, si probabiliter existimatur correctio, vel inductio testium profutura.
7. Notatur quædam differentia inter peccata, quæ in damnum tertij vergunt, & quæ solum peccanti nocent.
8. Peccata omnino secreta, & quæ in damnum communitatis, vel tertij vergunt, si per secretam correctionem emendari possunt, non sunt iudicialiter denuncianda.
9. Si est presumpcio non esse delinquentem corrigendum adhuc plures censent non posse fieri denunciationem iudicalem.
10. Contrarium est tenendum.
11. Cum Prælati præcipiunt sibi delicta denunciari absque communicatione cum aliena persona, intelligitur præceptum de delictis, quæ tibi coram conat esse denuncianda, secus de illis, de quibus dubius es.
12. Rarò in propriis iniuriis est obligatio corripiendi delinquentem.

1. PONO primò, multipliciter posse sumi secretum, & publicum, ut constat ex iis, quæ tradit glossa, & Panormit. in *cap. ex litterarum, de Temp. ord. & cap. vestra de cohabit. cleric. & mulier. Syluest. verbo occultum, verbo manifestum, verbo notorium, Sotus de regendo secreto. membr. 2. in princ. Nauarr. summi. c. 27. n. 12. Valent. 2. 2. disp. 9. q. 10. part. 5. pag. 667. Villalobos tract. 4. de correct. difficult. 30. Suar. Lorca, & alij infra referendi. Specialiter sunt tres gradus publici, & tres gradus secreti, ut dicit Villalob. *suprà*, & Lorca *disp. 47. sect. 3. num. 3.* Suarez *de charit. disp. 8. sect. 6. in princ.* Primus gradus publici est, quando à duobus scitur, & tunc dicitur in iure probabile, quia probati delictum sufficienter potest, etsi nulla eius infamia sit. Secundus gradus publici est, quando non solum probari potest, quia plurius est notum, sed eius veretur infamia: & hoc dicitur à iure famosum, vel manifestum. Tertius gradus est, quando est notorium, quòdque nullo modo celari potest, nec negari ab eo, qui commisit: & hoc dupliciter contingit, vel notorium notorietate iuris, vel facti. Notorium notorietate iuris, est, quod iam est per sententiã declaratum, Notorium notorietate facti quòd à maiore parte communitatis, oppidi, collegij, vel viciniae cognoscitur, modo communitas excedat decem personas, quæ omnia in materia detractionis aduertimus. Opposito modo contingit secretum, illud*